

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 5301

**Auteur(s) :** Robert Goubert, Baupuis (archidiacre)

**Bénéficiaire(s) :** Coutances (chapitre cathédral)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1280, mars

**Action juridique :** donation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Robert Goubert, archidiacre du Baupuis, donne au chapitre de Coutances pour célébrer son obit la rente qu'il avait achetée à Jean Vascelin en 1260. Les deux tiers de la rente seront distribués aux chanoines et le reste aux clercs du chœur.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Fontanel Julie, *Le cartulaire du chapitre cathedral de Coutances*, Saint-Lô, Archives départementales de la Manche (Sources inédites sur l'histoire du département de la Manche ; 1), 2003, n° 28, p. 125-126.

## Dissertation critique

(v. st.), datation proposée par J. Fontanel : « Dans Reg. B, la même main qui écrit en rouge les numéros des actes corrige la date de 1278 en 1280. » (FONTANEL, p. 126, n° 28, note 1).

### Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis, R[obertus] Gouberti, archidiaconus de Bautesio in ecclesia Constantiens, salutem in Domino. Noveritis quod ego, ad anniversarium meum in ecclesia Constantensi solemniter celebrandum et ad commemorationem faciendam, pro salute anime mee antecessorumque et benefactorum meorum, caritatis intuitu, dedi et concessi ac in perpetuum dimisi viris venerabilibus et discretis capitulo Constantiensis ecclesie, decem libras tur. annui redditus quas emeram et habueram quandam a Johanne Vascelin, olim filio Petri Vascelin, et ipse michi assignaverat et concesserat in assisia terre, in hominibus, redditibus, terris, domibus, locis et tenementis infrascriptis, quos et que tenuerunt et tenebant de dicto Johanne, tempore predicti contractus seu venditionis, et quos redditus et tenenda Johanni debebantur homines inferius nominati et michi nunc debebantur de eisdem, percipiendum, habendum ac possidendum et reddendum predictis capitulo in perpetuum decetere de dictis terris, domibus et tenementis cum homagiis, juribus, libertatibus et reddevantiis, quos et que ego et dictus Johannes habebamus et habere poteramus in predictis libere, pacifice et omnino quiete, sine contradictione et reclamacione aliqua mei et heredum meorum, salvo tamen jure capitalium dominorum [...]. Videlicet Rogero le Caretier et heredibus suis quadraginta solidos tur. de quadam domo sita apud Barefluctum juxta manerium meum ex una parte et domum filie Bidon ex altera ; item et tres solidos tur. de quadam domo sita in venella Pepin justa domum Gaufridi le Caretier ; item a Nicholao Roscelin triginta solidos tur. de quadam domo sita juxta domum Ansquetil le Sochon ex una parte et venellam ubi manet seu mansit Willelmus de Carnanville ex altera ; item a Willelmo Feret decem solidos tur. de quadam domo sita juxta domum Nicholai Quenivet ex una parte et domum Roberti le Bedel ex altera ; item a Johanne de Ruello tredecim solidos tur. et quatuor denarios tur. de quadam domo sita juxta

plateam que fuit Unfrido de Ruello ex una parte et domum Dei ex altera ; item a Radulpho Carbonnel decem solidos tur., unum panem de duobus denariis tur. et unum caponem de quadam platea retro manerium Radulphi Carbonnel predicti ; item a Roberto dicto Foutet apud Morfarvillam ad mensuram ejusdem ville quatuordecim bussellos frumenti, quinque denarios pro pane, duos capones et dimidium de tribus virgatis terre sitis juxta terram Willelmi le Fauc ex una parte et terram Roberti de Moncello ex altera ; item et de dimidio virgate site inter terras predictas ; item a Roberto de Moncello quatuordecim bussellos frumenti ad dictam mensuram et quinque denarios pro pane et duos capones et dimidium [de tribus virgatis terre et dimidio] site juxta terram Willelmi le Fauc ex una parte et terram Roberti Foutet ex altera ; item a Willelmo le Folon sexdecim bussellos frumenti ad mensuram de Gatevilla apud eumdem locum de sex virgatis terre site juxta allodia domini regis ex una parte et terram que fuit Ricardo dicto Lepori ex altera ; item a Gaufrido dicto Torgot dimidium busselli frumenti, viginti quinque bussellos ordei ad mensuram de Gatevilla, septem denarios pro pane, duos capones et quinque gallinas et viginti quatuor ova de tribus virgatis terre site juxta terram Gaufridi de Hamello ex una parte et vicum ex altera ; item et de quadam pecia terre site juxta terram Gaufridi de Hamello ex una parte et terram Johannis dicti Heredis ex altera ; item et de dimidia acra terre site apud Crucem de Danevilla juxta terram Philippi de Houga ex una parte et terram filiorum seu heredum Radulphi Torgot ex altera ; item et de una virgata terre apud Riquerons site inter feodum domini de Gatteville ex utraque parte ; item apud Sanctam Genovefam a Nicholao Le Roux Durdemeir viginti unum solidos tur., tres denarios pro pane et tres gallinas de novem virgatis terre site apud Valum de Danevilla juxta terram Willelmi de Neauhou ex una parte et terram Guerondi de Valle ex altera. Item quod hec omnia predicti canonici singulis annis terminis, statutis consuetis, percipient et habebunt, acto et convento inter nos super premissis redditibus, receptis et levatis per dictum capitulum. Predicti canonici, qui die anniversarii servitio ipsius intererunt, duas partes et clericorum chori ipsius ecclesie Constantiensis percipient et habebunt tertiam ; et de hiis taliter fiet distributio legitima, prout firmum inter me et dictum capitulum extitit ordinatum. In cuius rei testimonium perpetuum et munimen et ut hoc firmum et stabile permaneat in futurum, presentem cartam sigilli mei munimine roboravi. Actum est hoc anno gratie millesimo ducentesimo octogesimo, mense martii.